Quaestio medica Quodlibetariis Concertationibus discutienda In Scholis Medicorum die Jovis 11a Decembris M. Georgio Cornuty D. M. ac facultatis Decano, Moderatore.

An Pulmonis motus naturalis?

Subiectum Medicinae corpus humanum, sanabile, ex elementis quatuor conflatum, proprium habens temperamentum calidum humidum singulare aliorum; caeterorum corporum est praestantissimum. Cuius calor Insitus, originem celestem [?] trahens, ab aethere spiritu non differens, ab influente quandiu [illegible] separatur: tandemque ad consumptionem propriae substantiae dissipatur et extinguitur. Hic sive spiritus, sive calor, sive temperamentum dicitur, nihil aliud. Hoc veluti instrumento utitur natura ad compositionem totius; unde admirabilis corporis humani generatio, et partium omnium inter se constituentium ad usum et actionem structura ordinata, materialibus principiis seminis utriusque parentis et sanguinis menstruo, spiritibus tanquam efficientibus tribuenda est.

Haec Ergo conclusa in utero, ab eo tempore quo coniungi coeperunt, perpetuo in conformatione partium omnium laborem suum impendunt. Nam cum in semine naturales facultates magnopere vigeant, quae nullo momento operari desinunt, assiduam in tanto opere construendo diligentiam adhibent [?]. Unde ex semine partes spermaticas frigidas siccas, et ex sanguine cum cerebro, et sanguine carnosas contrariam temperiem possidentes, cum iecore et corde constructas intuemur. Quae eodem tempore simul efformantur ad necessitatem vitae foetus, in utero et extra.

Alia enim sunt principes, quae facultatem per spiritum, et cor et cerebrum, et materiam seu alimentum et iecur toti communicant. Aliae praestantes quae ratione officii publici quod illae praestant, sic nuncupantur sine quibus totum superstes esse nequit: ventriculus enim chylosim ad sanguinem, et spiritus naturales, vitales, et animales conficiendos: vesica, lien, vesica, alimentum expurgant. At pulmo quam dignitatem inter has obtineat, omnibus est notissimum. Nam cum sit calidus humidus temperamento, carne molli, rara, levi, ad hauriendum concipiendumque spiritum aptissima, spirandi officina, haud multum temporis officio privari potest absque summo animalis detrimento.

Unde motum contrarium a natura accepit, spiritum ducit reducitque, haustum hunc praeparat cordi, et iecori alimenta ventriculus, cuius sinum accessu calor ventilatus refrigeratur, et spiritus vitales animalesque generantur: quibus deinde reparatur singularum partium caloris nativi iactura. Igitur cum pulmo sit respirationis primarium instrumentum, sine cuius actione cordis calor extinguitur: motum illius cunctis animantibus perfectis, in lucem editis necessarium esse simpliciter affirmamus. Hinc colligere licet nullum esse animal in aere, terra, et aqua, quod non respiratione egeat, quod non pulmone sit praeditum.

Ergo Cum nulla sit pars corporis quae aut actionem, aut usum aut utrumque non possideat: pulmonemque partem corporis praecipuam actionemque habere sustinuimus, qua toti animali prodest mediante diastole et systole a natura accepit, quibus animalium vitae opitulantur. At cum actio sit organicarum partium, et illarum motus facultas; isque sit aut animalis, aut naturalis, aut violentus, pulmo non a corde, non a propria vi, nec a cerebro, sed vacui fuga (quod natura abhorret) commovetur. Ergo Pulmonis motus naturalis.

Asserebat Philbertus Guybert Parisinus. Anno. M.DC.VIII.

D.D. Disputaturi:
- M. Claudius Charles Professor Reg.
- M. Zairinus le Tignon.
- M. Dionysius de Guerin.
- M. Jacobus Lotus.
- M. Joannes Riolan prof. reg.
- M. Andreas le Gros.
- M. Nicolaus Jabot.
- M. Simon Pietre.
- M. Joannes Duret.